



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 65. Hispanorum victoria de Mauris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A.C. 1487.

que Nuntius negotium accepit, ut Ferdinandum ad vectigal Romanæ Ecclesiæ pendendum urgeret: Verum ille a Rege nil nisi durissima retulit verba, qua indignitate Pontifex summe commotus, Ferdinandum regno exiit, ad quod occupandum Galliarum Regem, qui illud sibi legitimo ex jure competere contendebat, evocavit.

## §. LXV.

*Hispanorum victoria de Mauris.*

*Strita l. 20. c. 70.*  
*Marian. hist. l. 25. c. 10.*

Interea Ferdinandus Arragonum Rex totus in eo erat, ut Granatæ regnum suo subjiceret imperio, nilque propius esse videbatur, quam ut Velis urbs ad incitas redacta in Regis potestatem veniret, cum ecce! Muleyus Adolescentis Regis patruus cum quinque vel sex equitum & plusquam viginti peditum millibus in auxilium accurrit; nihilominus Hurtado de Mendoza, qui Hispanorum copiis præerat, recentem hanc militiam aggreditur, ruptisque hostium ordinibus Mauros cædit, fugatque, ipsumque Maurorum Regem cum residua exercitus sui parte Almunecaram se se recipere compellit; cum autem is loci hujus securitati diffideret, primo Almeriam, demum Gaudicem aufugit. Hac Patruis absentia Rex Juvenis Mahometes Boabdiles opportune

*Gaudin*



portune usus, Granatam urbem occupat, Sæcul. XV.  
A.C. 1487.  
 ipsis etiam Oratoribus, quos Muleyus nuperrime ad procurandam pacem ad Boabdilem miserat, ad subigendam urbem non infimam opem conferentibus; hos enim juvenis Rex antea blanditiis sibi dexterrime devinciebat: Vix autem urbe potitus, se præsentem omnes Patru sui fautores jugulari præcepit, missisque ad Ferdinandum & Isabellam nunciis eos de prospero armorum successu certiores reddidit, pro omnibus tamen Mauris suæ fidei addictis securitatis gratiam efflagitavit, simul pollicitus, se trigesima post die, qua Ferdinandus urbes Almeriam, Bacam & Guadicem, quo ejus Patruus confugerat, armis suis subegisset, Granatensem etiam urbem Catholicæ suæ Majestati traditurum; Annuit Ferdinandus & Isabella omnibus Boabdilis precibus.

§. LXVI.

*Malaca a Ferdinando capta.*

Interea Velientes, præcisa omni auxilii *Marian. ib.*  
 spe, pactis conditionibus sese dederunt; cum vero Malacæ arcis præsidarii strenue Hispanorum impetus sustinerent, hinc toto armorum apparatu illius obsidio urgebatur, tandemque arx vi capta est: hujus urbis jactura plurimas alias eo-  
*Hist. Eccles. Tom. XXX.*      Y dem